

*dornt. educet verpringt. subditus vnder tenig. noli aemulari nit neid tragen. define ab ira gelaub dich des zorn. furorem grime. malignantur vbl tuent. exterminabuntur werdent vertriben. sustinentes dy do peyent. observabit war nympt. stridebit grisgramt. mutuabitur ent nimpt. Praeterea Psalmi LXXVI. v. 11. fol. 52. sic redditur: Do sprach ich. nu wil ich an hebn. dy wandelung cham von gots hant. Fol. 104. absque ulla indicatione junguntur Cantica biblica, Hymnus Te Deum, Fides dicta Athanasii, Oratio dom. Symbolum Apostol. et Litaniae OO. SS. quae tamen jam in Apostolis abrum-puntur.*

## LXIII.

R. 1070 Codex membraneus latino scandicus Sec. XIV. Folior. nunc 68. 4. caractere crasso, luculento per-scriptus, literis initiorum auro coloribusque distinctus, et Hafnia, ut videtur, ad nos delatus est *Psalterium Davidis* e versione vulgata principio, sineque multatum ita, ut nunc incipiat a *Psalmi XVI. v. 8. A resistitibus dexterae tuae &c.* et cum *Psalmi CIII. v. 6. Abyssus sicut vestimentum &c.* terminetur. Quod porro eximium habet, Significata sunt veteri Lingua Scandinaviae, Islandica, f. Norvegica singulis vocibus latinis currente calamo imposta. De introductione christianae Legis in Islandiam per *Fridericum* quendam Episcopum, quem in Saxonia inventum a. 981. *Thor-*

*vallus Kodranis* filius in Insulam adduxerat, extat *Kristni* — Saga five Historia eo introducti Christianismi edita *Hafniae* 1773. 8. Ex eadem novimus Sedem episcopalem priorem *Skalbolti* fixam a. 1056. ab *Isleifo Gissuri* filio, alteram in *Holis* a. 1107. a *Johanne Oegmundi* filio. Facile porro statuemus Sacrorum Curatoribus cordi fuisse, novello Gregi divinorum Librorum praebere notitiam, iisque interpretandis calamum adhibere. Et meminit *Arngrim. Jonas* in *Specim. hist. Islandiae, Amst. 1643. p. 128. 4.* Bibliorum integrorum *Islandicorum* jam Sec. XIII. splendide descriptorum. An ad eam aetatem ascendant Glossae nostrae, definire non possum, neque omnes ob ignota mihi scribendi compendia legere ausim, adferam tamen speciminis ergo aliquas: *Sialldur auga*, pupillam oculi. *Vnder skugga vengia*, sub umbra alarum. *Kastandi*, projicientes. *Bygiandi*, habitans. *Suerd*, framea. *Dyrd thin*, gloria tua. *Hialp*, refugium. *Upptakari*, susceptor. *Snorur*, laquei. *Kall*, clamor. *Eyru*, aures. *Jord*, terra. *Reykr*, fumus. *Elldr*, ignis. *Afionu*, facie. *Glædr*, carbones. *Vnder fötum*, sub pedibus. *Tialldbud*, tabernaculum. *Sky*, nubes. *Hagl*, grando. *Hata*, oderunt. *Hreinleika banda*, puritatem manuum. *Meinlaus*, innocens. *Hirta*, cervorum. *Bærdaga*, proelium. *Boga eyr*, arcum aereum. *Armleggi*, brachia. *Læring*, disciplina. *Fotspor*, vestigia. *Krapti*, virtute. *Upprisande*, insurgentes. *Ad baki*, ad dorsum.

*Psalm*

*Pſalm ſkal ſeigia*, pſalmum dicam &c. Singularem forma ſunt Librarii noſtri *f. k. et th.* neque multum differunt. Anno 1528. illata eſt *Iſlandiae* Typographia teſte *Finno Johanneo* in *Hiſtoria eccl.* edita *Hafniae* 1772-75. qui etiam Indicem omnium ibidem impreſſorum Librorum textit. Atque hos inter comparent *Biblia* ad an. 1584.

## LXIV.

C. 941 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 253. 4. caractere luculento exaratus, et auro, coloribusque, minus tamen ex arte ſplendidus *Pſalterium* e Parthenone *Halenſi* allatum continet, praemiſſo *Calendario* non adeo nominibus SS. turgente, in quo cum mense Aprili: *Petri martiris de ordine fratrum predicatorum*, Majo: *Translatio beati Dominici*, Septembri: *Anniuerſarium familiarium et benefactorum noſtrorum* legas, credibile fit, *Codicem* pro quodam hujus Ordinis Coenobio primum ſcriptum fuiſſe, quo pertinet etiam *Fol. 130. p. 2.* icuncula *Sodalem Dominicanum* exhibens *Feminae Principi*, ut videtur, prae templi cujusdam foribus ſedenti, ejusque fortasse *Conditrici*, *Codicem* offerentem. Quibus ſi addas, in adjectis ſub finem *Litanii* orari *pro Duce noſtro*, res *Tyrolim*, *Adelheidemque Alberti* Com. filiam *Meinbari III. Gorit.* uxorem et *Parthenonis Steinach* O. S. *Dominici* fundatricem 1275. defunctam, *ſcriptionis* vero tem-

pus *Fridericum* aut *Sigismundum* jam ex *Auſtriacis* Duces ſpectare poteſt. Ipſum porro *Pſalterium* *Icones Chriſti* plagis notati, *Davidisque* citharam pulſantis deauratas et picturatas primae *Pſalmi* I. literae B. incluſas praefert; reliqua verſus 1. literis aureis uncialibus ſequuntur. Aliae *Pſalmorum* initiales literae diverſas picturas offerunt, in quibus instrumenta etiam muſica. A fol. 227. p. 2. adjuncta ſunt reliqua *Cantica* *Biblica*, *Hymnus Ambroſii*, *Symbolum Quicumque*, et OO. SS. *Litaniae*.

## LXV.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 40 XV. Folior. 275. 4. caractere grandi pereleganter exaratus, literisque initiorum deauratis et picturatis ſpecioſus, *liturgicus* eſt, qui primo exhibet *Calendarium*, quod e quibusdam *Festis* ad *Belgium* referas, et in quo *Apparitione S. Michaelis* mense Majo *Inuencio* dicitur. Succedit *Pſalterium* notato ſimul *Pſalmorum* uſu in *Officio Chori*, et ad hujus calcem non tam recte, quam pulcre minio: *Explicitum eſt pſalterium deo gratias continentem in ſe CL. pſalmos. Nunc uero incipiunt cantica qui per ferias dicuntur, et primo, ſſeria ſecunda, Canticum yſaie prophete.* His adjunguntur: *Canticum ſancti ambroſij et ſancti auguſtini de laudibus angelorum, Cimbolum fidei compoſitum per athanaſium epiſcopum, et Litaniae* OO.